Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1883
Quelle:
Copyright:

DCCLXXXVII.

U. 46 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. per duas columnas a variis exaratus et rubricis distinctus, potissimam partem *Homileticus* est de Tempore et SS. Indicemque Sermonum in Theca postica adjectum habet. Sunt tamen quaedam peculiariter indicanda. *Fol.* 3. *Incipit Quadragesimale Abbatis.* Sermo I. *in die Cinerum*, in illud: *Cum jejunatis, nolite fieri* &c. Matth. 6. *Sicut apparet ex multiplici experimento et philosophus hoc testatur* &c. Pertingunt usque ad Fer. III. Pasch. hi Sermones, finitque postremus: *fructus mei honoris et honestatis, ad quos perducat* &c. Sequitur Tabula, sed ante eam legitur: *Explicit postilla XLe fratris philippi de abbate*; quo Librarii errore innui censeo *Philippum* e Monacho *Eberbac.* Ord. Cist. Abbatem *Otterburgensem* in Palatinatu infer. qui exeunte Sec. XIV. reliquit *Volumina II. Concionum de Tempore et de SS.* a *Carolo Vischio Eberbaci* non semel visa, ut ipse testatur in *Bibl. Scriptt. Ord. Cist.* p. 280. Sed virum *Trithemius* in *Scriptt. germ.* ad an. 1220. removet, dum illum *Possevinus Adpar. sac.* T. II. a. 1430. vixisse ait. Componant litem Chronographi Ordinis. Ad calcem Tabulae notatur: *Qui me scribebat, frater Johannes de Velsperch nomen habebat.* *Fol.* 135. sequitur *Adventuale*, cujus initium: *Nota quod due sunt cause que coegerunt christum venire* &c. Pertingit usque ad Dom. I. post Epiph. et videtur ad eundem *Philippum* referri posse. In Sermone Dom. I. Adv. *fol.* 142. habetur: *Frater quidam ordinis nostri Rudolfus nomine magnam scientiam habens et nichil docens, cum iam esset in extremis fratribus presentibus ait. Audiui vocem dicentem mihi. Rudolfe plurima sciuisti et parum docuisti.* Narrat *Vischius l. cit.* magistrum *Philippi Parisiis* fuisse *Rudolphum* Eccl. *Colon.* Scholasticum. Verum an hic deinceps Monachum induit, ut *Philippus?* Finit Sermo ult. *in gradum festinum* (pristinum) *restituitur.* Unde bene subjecit Librarius: *Hew male finiui quia non bene scribere sciui.* *Fol.* 171. praevio Aenigmate de *Anno* et *Panno*, quod emendatum sic restituo:

Est quiddam sine P. *cui servit noxque diesque.*
Si P. *addideris, facies tunicam tibi, si vis.*

Incipit scyntillarius venerabilis Bede presbiteri. Praeloquium ita orditur: *Propicio christo fratres karissimi ita lectionem diuinam auido et sicienti corde semper excipiatis* &c. Est hic inter *Sermones ad Fratres in Eremo* LVI. T. VI. Opp. *Augustini append. col.* 366. quem Librarii industria *Scintillis* praefixit; *Scintillae* vero ipsae habentur Opp. *Bedae Colon.* 1688. T. VII. *col.* 370. f. Capiti XXXI.

de